



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Croesvs Et Codrvs. hoc est, Copiæ Et Inopiæ Damna vel
Lvcra, à bono iustoq[ue] Mundi Gubernatore Deo
Distribvta**

Stengel, Georg

Ingolstadij, 1648

§. 3. Necessaria paupertas.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-52359](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-52359)

tonibus, & à verè indigentibus eleemosynas auertunt. Quin nec illos hinc religiosos excludit D. Bernardinus, qui vt conuiujs possint vacare, & cuticulã suam curare, nequaquam, vt pauperes decet, conuiuantur, atque ad hoc subditos suos nimio opere grauant. Horum meritò omnium vocat falsus ille hypocriticã & falsam paupertatem, quæ execrabilis est, & diabolica, cui non promittitur *regnum celorum*, sed *caminus ignis ardentis*. Nam tales cum diuite illo in inferno sepeliuntur.

§. III.

Necessaria paupertas.

Secunda paupertas, varijs de causis, est necessaria. Neque enim ficta, sed vera est, & vel non optanti venit; quia illi hereditaria est, aut propria culpa, aut casu, aut certè diuino consilio & prouidentia accidit. Nonnulli enim à quatuor auis sunt pauperes. Nonnullos tesserae aut astragali, aut ludus pilæ fecit pauperes. Quibusdam diuitiæ per guttur defluerunt. Quosdam naufragia, quosdam incendia, quosdam bella atque hostes, quosdam tutores, quosdam fures ad incitas redegerunt. Denique mille sunt scopuli, ad quos opes alliduntur.

Itaque

Itaque isti à D. Bernardino vocantur *pauperes huius mundi*, de quibus dicitur: *Pauperes semper habetis vobiscum.* Hæc paupertas est simplex carentia diuitiarum; malis, & malè se in ea gerentibus mala; bona bonis ac patienter eam ferentibus. Aliqui enim, ob inopiam, se domi continent, aut in rus concedunt, vitant publicum, & sicut vesperiliones apud Æsopum, interdum videri nolunt. Præsertim autem nobiles, grauiùs sentiunt hanc calamitatem; putant enim eam sibi dedecori esse; neque stemmati suo conuenientem. Alias vestes, alium victum, aliam habitationem, aliam auctoritatem maiores habuerunt. Primi in curijs, primi in aulis, primi in conuiujs sederunt. Omnia hæc vel extinxit paupertas, vel eneruauit. Quare turbantur & fluctuant; quidam franguntur; quidam nunc in hanc, nunc in illam partem nutant; quidam ad sacram anchoram confugiunt, & spem suam in Deum figunt.

§. IV.

Ex necessaria paupertate voluntariam esse faciendam.

Quod ut faciant, ita eos D. Bernardinus compellat. *O pauper verecunde, vis sequi*

Ff 3

consi-